

A. D. O. M.

26

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

DE

*Moralitate Respectus Personarum,*

PARTEM POSTERIOREM,

*Conf. Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOH. BILMARK,*

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publicæ submittit censuræ

*CAROLUS JOHANNES GREVILLIUS,*

NYLANDVS,

In Audit. Maj. d. 9 Maij 1798.

Horis a. m. confvetis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKE LLIANIS.



§. VII.

**L**atus omnino patet respectus ille personarum, de quo in antecedentibus locuti fuimus, quam ut quis crederet, eum intra solas tantummodo venerationis species terminari; interdum enim se prodit indulgentia in alios, ob vitæ eorum circumstantias, ex. gr. propter ætatem, licet nondum adultam, vel ab honoribus non excludendos, vel mitius, si quid mali commiserint, habendos. Quum enim, teste experientia, per congenitam naturæ bonitatem & probam huic accedentem institutionem fiat, ut alii aliis citius maturescant, ratio ætatis singulorum non ita est habenda, ut præsentiam meritorum ex annorum numero, sed potius ex lueulentæ virtutis, quæ certæ cuidam ætati non est adstricta, speciminibus æstimemus. Rem publicam Romanam, dum imperii æmulam habuit Carthaginem, post plures acceptas clades caput exferere haud potuisse, nisi consulatum obtinuisse. **SCIPIO** Africanus, quamvis sua ætas in tantum honorem ex legibus patriis non esset matura, sui censuerunt ci- ves, eosque recte judicasse, exitus belli satis comprobavit. Sicut autem excelsa ingenia sunt perquam rara, ita non nisi per paucis concedi solet in honoribus obti-

obtinendis ætatis privilegium; quare etiam vi Constitutionum Regiarum nemo fere apud nos ad certa munera, præsertim Ecclesiastica, ante est admittendus, quam definitos compleverit ætatis annos. Quod rursus infantes & minorennnes attinet, eorum ex æquo habetur respectus, qui ad condonationem, saltem mitigationem pœnæ, dum deliquerunt, valet. Quum enim tales ad plenum intellectus ac voluntatis usum nondum pervenerint, affectuum impetu abrepti moralitatem actionum suarum expendere non possunt, a plerisque etiam meditata absit malitia, nec eis gaudeant corporis viribus, quibus alios graviter, nisi infortunium accesserit, laederent; igitur vel severa reprehensione, vel pœna quidem afflictiva, sed solita minori, adficiuntur. Sicut proinde merito exhorrescimus inhumanas veterum quarundam Gentium leges, ex quarum tenore totæ nonnunquam familie ob unius vel reapse fontis vel in suspicionem criminis adducti, delictum plane exscindebantur; ita earum Nationum instituta sunt laudanda, apud quas cives respectu ætatis, & hinc secuturæ factorum imputationis, in varias dispescuntur classes; quum ita caveri posse, ne, quod communi dicitur proverbio, Summum jus summa fiat injuria. Addimus, non solum in criminalibus, sed in civilibus etiam, respectum impuberum non raro haberi, ita ut tales civili modo se valide obligare nequeant, ne quidem in negotiis, in eorum commodum manifesto vergentibus. Ab altera parte senum quoque ob imbecillam ætatem habetur respectus; non solum enim a gravioribus in repu-

blica functionibus, speciatim a militia & tutela, si sexagenariis sint majores, & ætatis veniam petant, apud eultiiores Nationes liberantur; sed peculiaris eisdem habetur honos & eorum sententiae multum tribuitur auctoritatis.

## §. VIII.

Dantur præterea casus, quibus respectus personarum circa factorum imputationem solet haberi, propterea, quod hæ sint simpliciores, quam ut de iis præsumere liceat, illis legum civilium & positivarum accuratam contigisse notitiam. Ex tenore igitur veterum Patriæ nostræ legum, quibus aliarum quoque Nationum statuta consentiunt, milites, rustici & inquilini, imo quibusdam in casibus mulieres (a) etiam, a legum obligatione liberabantur, quod earum cognitione destituerentur; nec eam sine soluto sibi acquirere possent pretio. Nec quempiam forte fugit, Summum apud veteres Hebræos Pontificem, modo legibus præscripto, peccata eorum, qui in leges rituales peccassent, expiassè, graviora autem delicta, capitis supplicio fæcita, nulla expiare potuisse ratione, Numer. XV:27.

(a) Hoc non ita est accipendum, quasi mulieres non gaudient ingenio, ad cognitionem legum etiam civilium sibi acquirendam necessario, sed quod earum institutio intra curiam rerum domesticarum & virtutis elegantiam pleniusque terminetur.

## §. IX.

Respectum personarum, quem hactenus expendimus, non modo æquitati convenientem, sed subinde etiam necessarium esse, quisque facile animadvertis; attamen quum nihil fere sit utcunque præstans, quo abuti non possint mortales, ostendendum nobis incumbit, respectum hunc nonnunquam esse noxiū. Si igitur in præmiis atque honoribus inter cives distribuendis respectus ille magis ad illustres Candidati natales & aviti nominis gloriam, quam ad perspectas qualitates extenditur, reipublicæ male plerumque consulitur; utpote in qua rite administranda nomen officialis parum valet, industria vero & integritas in munere rite obeundo utramque faciunt paginam. Quocirca tamen non erit dissimulandum, suis tempora, quibus Illustrium etiam virorum filiū accurata adeo, quin & rigida tenerentur disciplina, ut nihil, constanti virtutis tenori adversum, sibi permettere auderent; quo quidem intuitu respectus personarum eis debebatur, non tam propter suam originem, quam huic annexa in patriam merita, vel dudum præstata, vel data occasione certo certius præstanda. Pro qua vero exactiori educatione dum mollior liberorum institutio forte invalescit, & hi suorum natalium sæpius, quam officiorum sibi injunctorum admonentur, respectus personarum in honoribus distribuendis non potest non in civitatis perniciem vergere. Quod licet extra dubitationis aleam sit possum, docent tamen annales, su-

periora in quibusdam civitatibus munera ad certas familias, instar bonorum patrimonialium, fuisse de-  
voluta.

## §. X.

Injecta nuper a nobis Justitiæ, circa honorum distributionem sollicitæ, mentione, haud erit reticendum, vexatam saepe fuisse quæstionem: An in munerebus publicis conferendis quis opum ac facultatum, quas Candidatus possidet, habendus sit respectus? Ita quidem nonnullis visum est Nationibus, talem constitutionem triplici superstruentibus fundamento, cum quod divites meliorem liberis suis impertire possint educationem, quam pauperum conditio his permittat, tum quod divites per & propter suas opes, quarum conservatio eis curæ cordique est, patriæ suæ ita adhæreant, ut suam felicitatem saluti hujus innexam putent, ac proinde utramque pari studio promotam eant; tum denique quod difficilius fit, largitionibus corrumperet divites, quam cæteros, angusta re domi pressos. Enimvero quamvis hæc, quæ in favorem divitum, ut superiora honorum subsellia eis relinquuntur, allata sunt, probabilitatis specie se commendent; prævia tamen constat experientia, allatas rationes in abstracto solidas, in concreto non semper valere; divitibus liberaliter ab ipsa infantia habitis, in suas commoditates ac voluptates, quæ maximi plerumque constant, ita non raro propendentibus, ut subruto censui

sui supplendo & fidem & alias virtutes impendant, a-  
eque munus sibi commissum negligenter, quin &  
perverse non raro administrent. Contra ea paupe-  
res, ad superiores honorum gradus per suorum meri-  
torum scalam evecti, & externis destituti praesidiis,  
omnem navare tenentur operam felicitati publicae  
promovendae, probe gnari, se aliter gerentes, famae  
primum, & salutis dehinc naufragium facturos. Præ-  
terea respectus personarum, vi allatae definitionis,  
qualitates earum, non bona quedam adventitia, con-  
cernit; quarum vero rerum dum in proposito casu fit  
commutatio, perversus est hinc emergens personarum  
respectus. Denique quum in donis suis conferendis  
natura & fortuna socias raro jungant operas; ineptum  
est, Candidatorum merita ex eorum opibus aestimare;  
quibus addere licet, multum doli fraudisque, admissa  
munerum publicorum venalitate, posse obrepere, nec  
non periculum esse, ne is, qui honorificum numerata  
pecunia sibi comparavit munus, ratione minus hone-  
sta, quod erogatum est, refarcire satagat, ferme ad  
modum Pontificis Romani, ALEXANDRI VI, in  
quem false quis cecinit: *Venit Alexander sacramenta,*  
*altaria, Christum* - - - - *Emerat ille prius, ven-*  
*dere jure potest.*

## §. XI.

Respectum personarum causis quoque forensibus  
applicaturi, duos tantummodo casus ex principiis Mo-  
rali-

talibus, [ne] extra oleas exspatiati videamur, nunc  
 examinabimus, & quidem primo Casum pro Amico,  
 quo hæc emergit quæstio: An amicitiae jura eo usque  
 valeant, ut in dijudicandis amici actionibus respectum  
 hujus ita habere liceat, ut, si delictum quoddam com-  
 misserit, vel promeritam hujus poenam mitigare, vel  
 ab eadem ipsum liberare judex salva conscientia pos-  
 sit? Quorum utrumque, præviis tam lege Naturali,  
 omnem alterius læsionem prohibente, quam plera-  
 rumque Nationum legibus, ad præcavendas injurias  
 præcipue directis, simpliciter negamus; addentes, san-  
 ctum quoque esse juris naturalis præceptum: Quod  
 suum cuique sit tribuendum. Enimvero jus amici  
 aut est jure adversarii sui inferius, aut eidem æqua-  
 le; in priori casu in suum favorem iniquissime pro-  
 nuntiari, per se patet; in altero judex amicum suo  
 adversario, adsecuru magis quam ratione ductus, præ-  
 fert, adeoque hunc præter meritum lædit; quod quum  
 sit iniquum, sequitur, in casu pro amico nullum hu-  
 jus habendum esse respectum. Ansa scrupuli, forte  
 injecti, inde videtur enata, quod heic collisio inter of-  
 ficium amici & judicis existat; qui vero facile tolli-  
 tur, dum in memoriam nobis revocamus æquissi-  
 mum juris præceptum: Quod personam amici depo-  
 nat, qui judicis induere tenetur. Notum est factum  
**CHILONIS**, Lacedæmonii, inter septem Græciæ  
 Sapientes olim habiti, amicum capitis reum pro tri-  
 bunalis sedentis, condemnantis quidem, collegis au-  
 tem suis persuadentis, ut hominem absolyerent, ne  
 vel

vel judicis vel amici officio defuisse videretur; juxta tamen novimus, quod propter hanc, non dicam industriam, sed cavillationem, gravissimos in vitæ exitu passus fuerit conscientiæ suæ angores.

## §. XII.

Alter a nobis hac occasione explicandus casus concernit quæstionem: An judex in pœnis infligendis respectum personarum subinde habere moraliter possit? ad quam breviter respondemus: quum judicis absolutum sit officium, suum cuique trahiere, & factorum, ad suum tribunal devolutorum, moralitatem ad legum publicarum tenorem absque ullo expendere affectu; satis appetet, in sententia ferenda nullum ab eo personarum respectum esse habendum. Quod Veteres idoneo quodam expressuri symbolo Justitiam proposuerunt, ut virginem, velatis sedentem oculis. Si autem judex respectum personarum sibi permitteret, ab affectuum lenociniis ita in transversum rapi posset, ut non legibus latis, sed æquitati cerebrinæ, suas attemperaret sententias; immemor plane, sui esse officii, non de legibus, sed secundum leges judicare. Si autem pœnis arbitrariis, seu qua speciem suam non determinatis, locus a Legislatore propter gravissimas causas nonnunquam sit relictus, respectus personarum in his casibus non prorsus est negligendus, sed prudenter admittendus, ita quidem ut judex ob conditionem rei & intuitu hujus meritorum aliam pœ-

nam dictare possit *qualitate*, ut tamen ipsa ratione *quantitatis* ex civili *aestimatione* par communi habeatur. Rem autem longe aliter se habere, si facinus ad ipsius Principis tribunal devolvatur, quisque, vel me non monente, facile animadvertis; sicut enim jus & dispensandi & aggratiandi Imperanti, saltem in plerisque casibus, ex *aquo* competit; ita nihil impedit, quominus ipse ut Supremus Judex in poenit graviorum delictorum constituendis respectum personarum subinde habeat.

## §. XIII.

Quam amice inter se in eo convenient tam Lex Positiva Divina, quam leges cultiorum plerarumque Nationum, quod matrimonia inter personas, nimia vel sanguinis vel affinitatis propinquitate invicem junctas, speciatim inter homines in eadem linea adscendente vel descendente, sint improbanda; tam multum discrepant Auctores in ratione hujus interdicti reddenda; quorum tamen non pauci consentiunt GRO-TIO, rationem prohibiti ejusmodi matrimonii in cessatione reverentia, quam liberi suis debent parentibus & quae cum familiaritate inter conjuges necessaria consistere nequit, ponenti, seu quod paucis aliis exprimunt verbis, fundamentum interdictorum ejusmodi matrimoniorum in respectu parentelae erit querendum; de cuius proinde moralitate nostram adferemus sententiam. Fatemur omnino, matrimonium esse so-

cie-

cietatem eo magis æqualem habendam, quod circa ejus auspicia conjuges ad communionem vitæ, fortunatum ac bonorum se obligent; ista tamen non impediat, quominus conjuges non solum se ament, sed & propter gratas qualitates & causas morales venerentur; nec nos erraturos putamus, contendentes, amorem veri nominis accedente mutua reverentia firmari & diurniorem evadere, amoremque vulgarem, ut ab initio ferventissimum, sine respectus oleo, sensim sufflaminari. Atque hoc prævia experientia admissio, sequitur, respectum parentelæ, ut rationem matrimoniorum, personis supra memoratis interdictorum, frustra prætendi. Imo quum respectus non impedit, quin pactum inter Superiorum & inferiorem, legitimo modo initum, sit validum & uterque contrahentium suo fideliter vacet officio; concludere licet, matrimonium seu societatem inter marem & feminam, in generationem & educationem sobolis, nec non mutuum adjutorium initam, propter respectum, ante matrimonium quidem debitum, sed in hoc ab altero conuge non postulatum amplius, non reddi illegitimam; cæteroquin enim matrimonia inæqualia, Gallice *Méfiances*, censerentur illicita; cui conclusioni Lex Naturalis, conditionem personarum, matrimonium inire cupientium, haud respiciens, nequaquam adstipulatur. Quem ictum, sibi imminentem, declinaturi, respectus parentelæ patroni, objicere solent, aliam reverentiam esse naturalem, qualis est liberorum erga parentes, aliam vero esse pactitiam, qualem inferior

ferior præstat Superiori; sed quum utraque veneratio se exserat honoris testificatione, & posterior priori plerunque prævaleat, experientiam denuo testamur, distinctio reverentiæ modo allata ad technas Sophistarum, argumentis sibi deficientibus, verbis captiosis ludentium, erit referenda. Quibus superaddimus, licet in scriptis Mosis gradus interdictorum matrimoniorum recenseantur, nullam tamen respectus parentelæ ibidem fieri mentionem. Quæ hactenus attulimus ratiocinia eo tendunt, ut ostendamus, respectum parentelæ non esse idoneam rationem interdictorum & supra commemoratorum matrimoniorum; unde tamen argumentari non licet, eadem esse justa & licita, quum Deus, Supremus coeli terræque Monarcha, in *Sacro Codice* eadem severè prohibuerit.

**S. D. G.**